

EPISTOLA.

spondet spem plurimam omnis postulationis ultrò exaudienda. Tam felix hac in parte sui, qui vix Philosophia mea præoptavi Authoritatis Tuæ pro ipsa decertaturæ ostensionem: & ecce jam quasi anticipatò gerebas Personam Mecænatis eam amantissimè complexuri. Sed quàm felicior! qui quotquot ambitiosæ omni requisitioni Mecænates occurrere potuissent, tot in Te uno collectos comperi.

Si affectare potui Nobilem: Ades ex nobilissima oriundus stirpe, quæ ex Lusitania germinans in Scotiam Galliamque ramos uberes profudit & his Regnis providit Viros Fortes, & Bellicosos Duces, qui in delendis hostibus, in arcibus expugnandis, in tuendis castris pro sacra Religione ac Pace Terræ Marique feliciter ac generosè prævaluerunt.

Si conferre me volui ad Eruditum: annon in Te splendet omnigena eruditio, & sine fastu ad fastigium summum perducta. Nec mirum, bonas omnes Artes habuisti collactaneas, ne dicam Tibi ab ornatissimo & in Republica Literaria florentissimo Patre ingenitas, quas acquirere non debueris, sed promovere.

Aut si malui ad Virum verè pium confugere: in prospectu est Pietas, quæ ab annis tenellæ adolescentiæ Tuæ mirè quidem enituit, sed quid proficeret vix habuit, quia præceptis increvit, dum spem omnem Mundanam sprexit, divitiis & honoribus valledixit, & in sinu sacri Oratoriani Instituti latere voluit. Quin & latuisset, nisi eam Doctrina & Elo-